



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Conradi Oligenii J. C. Dissertatio De Primariis Precibus  
Imperialibus**

**Corradini, Pietro Marcellino**

**Friburgi Brisgoiae, 1707**

XVIII. Scriptores heterodoxi inania opponunt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63022)

24 De primariis Precibus Imperialibus  
moverent personas à laicis Potestatibus  
electas, uti superius dictum est.

XVIII.  
Scriptores  
heterodoxi  
inania oppo-  
nunt.

Adversus prædicta plures nugas oppo-  
nunt A catholicis scriptores, quorum ta-  
men præcipuum argumentum educitur  
ab inveterata consuetudine Imperatorum,  
cui singulariter diplomata Precum, quas  
Augustissimus Imperator nuper direxit,  
hærent. Hunc usum aiunt antiquissimum,  
referuntque ad ætatem gloriosissimi Ru-  
dolphi I. Imperatoris, quem comperi-  
mus vixisse anno 1273. Fatentur & ipsi  
Germani scriptores, ante id tempus nul-  
lum reperiri diploma harum primariarum  
Precum, sed in illo Rudolphi expressam  
esse antiquam consuetudinem Prædeces-  
sorum Preces dirigendi: en formula Pre-  
cum Rudolphi apud Goldastum Consti-  
tut. Imperialium tom. 3. pag. 406.: *Ru-  
dolphus, &c. Cum ex antiqua, & appra-  
bata à Divis Imperatoribus & Regibus ad  
nos producta consuetudine, qualibet Eccle-  
sia in nostro Romano Imperio constituta, ad  
quam Beneficiorum Ecclesiasticorum perti-  
net collatio, super unius collatione Beneficii  
Precum nostrarum primarias admittere te-  
neatur; devotionem tuam rogamus, quate-  
nus huic Clerico de Ecclesiastico Beneficio,  
quod ad tuam collationem attinet, ob reve-  
rentiam sacri Imperii studeas liberaliter*

XX  
obtinuit  
ex imploretur  
iunct.

*Dissertatio.* 25  
providere. Datum anno Regni nostri primo.

Prætermittimus, quod quamquam Rudolphus I. consuetudini hæreat, non desint, qui testentur, eum Imperatorem à Gregorio X. Romano Pontifice Indultum Apostolicum super iis impetrasse: hujus namque rei meminit Speculator, qui vixit ætate Rudolphi, & in titulo de Præbend. in 6. hæc habet: *Item nota, quod Imperator habet privilegium, quod ego vidi bullatum, quod in qualibet Ecclesia Alemannia possit facere unum recipi.* Hoc privilegium Sedis Apostolicæ primariarum Precum fuisse notat Joannes Andreas Speculatoris scholiastes loco jam relato litt. C. & in cap. *Is cui* 19. num. 1. de Præbend. in 6., & pluribus relatis Hermannus Hermes in fasciculo Juris publici cap. 11. de regal. Imper. num. 8.

Præterea itidem hanc consuetudinem in Precibus Rudolphi assertam provenisse potius ex abusu prædecessorum Imperatorum, qui canonicas electiones Prælatorum everterant, seseque arbitros fecerant investiturarum Ecclesiasticarum, & titulorum Episcopaliū, atque Abbatialiū: quem abulum abjuravit Hermannus Rex Romanorum, & Henricus V. teste Goldasto tom. 1. pag. 242. & pag.

XIX.  
Rudolphus  
I. Indultum  
Apostolicum  
impetravit.

XX.  
Consuetudo  
Rudolphi ex  
abusu.